

tiae, ac seriei, quam ipsa Scriptura non uno in loco depingit, per totum adversatur: quod tamen RIISSENIUM defendere pertinaciter videmus *Institut. Theol.* pag. 126. seq. & nuper BENEDICTUM PICTETUM in *Syllabo Controversiarum* C. XIII. p. 99. qui nostram doctrinam ante AEGID. HUNNIVM nondum creditam fuisse somniat.

XVI.

Potest jam, ut opinamur, animo facile concipi, quemadmodum λόγος συντελεσμένον nihilominus etiam sit συντετμημένον ἐν δικαιοσύνη, quando nimirum multi ad *Justitiam Christi*, velut ad *lapidem offensionis*, alliduntur & misere pereunt & sic numerum, qui poterat satis *magnus* esse, ad *parvum* redigunt: Hoc tam manifestum est, ut alia praeterea dilucidatione non egeat, nisi ut lectorem praeter postrema commata capitis nostri noni ad undecimum ablegemus, ubi v. 7. Israelitarum plurimos ea de causa perire affirmat, quod pertinacia perseveranti *Christum* ejusque *justitiam* respuant, sed suam *justitiam* in thronum erigere conentur & sic pereant: reliquiis saltem quibusdam superstitibus ut v. 1. & 4. 5. illius capitis diserte profitetur Apostolus: unde etiam apparet tandem, *subtractionem* illam seu συντομήν, qua actus peccaminosus est, in peccatore se gratiae Dei & *justitiae Christi* turpiter *subtrahente*, de DEO dici ratione *permissionis*: qua vero *executionem* signat *poenalem*, id est *exclusionem* judicariam ex salute aeterna, ratione *immissionis* & actualis *damnationis*. Quam enim *praeteritionem* Reformati variis modis palliatam, in DEO fingunt, quasi aliquos in massa perditionis reliquerit, nec vocaverit, sed absque mediis eluctandi, ut perirent, decreverit, est figmentum blasphemum, quantumcunque cum gloria & maiestate divina conciliatio tentetur. Ita enim DEVM instituentem rationes suas vidimus, ut non nisi eos *subtrahat*, qui se ipsos *subtrahunt*,

C

bunt,